

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 89.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita junctos.*

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum.—Die Veneris 22. Dec. 1809. (Neov. 5. Dec. 1809.)

*Ad Joannem Carolum Vice Comitem a Buts —
(Viscount of Buts) in Elysiis.*

Non abs re fuerit: divinationes Ministro-
rum patriæ tuæ, quemadmodum eas rationi-
bus initis adstruunt, intelligere; rationes Con-
servationis suas seqv. Opiato sopiunt.

; Si possessio Belgii, Rheni fluminis:
liberæque per Scaldim navigationis a Cel-
Pittio jam ante septennium ceu rationi status
Angliæ perquam perniciosa habebatur, quid
quæso, hod e dicendum nobis? cum Bonaparti-
us, si ei lubet, minas in nos jactas: nos
quibusvis portibus, navalibus stationibus,
orisque Constantinopoli, usque remotissimos
Russiæ fines excludendi, effectui dare possit.
Non est dubium, id eum posse, & an dubi-
um esse posset: eum cuncta medla susceptu-
rum, ad interitum unici, quem debellandum
adhuc habet, æmuli accelerandum? — Pro-
fecto adjuncta Angliæ critica sunt, paullo-
post desperata fieri possunt nisi celeriter ope-
rans pharmacum adhibitum fueri quod ho-

t,

diernis in regiminis nostri adjunctis nec sperandum quidem est.

Qui obiter rationes ducunt, contendunt, ut constat: ipsam totam Commercii nostri cum Continente jacturam nequaquam gravem in fortunas commerciumque nostrum actionem exerturam, quod id, seu modica immanis opumstrarum summæ fractio, evanescat, verum latet hos dominos: modicam opumstrarum diminutionem gravissimorum rem consecratorum fore, esseque posse; rogationibus nostris, ut res deponit continuo crescentibus. Nec expendunt: Manufacturas nostras, prout Insulas Indiarum occident. decrescentiam nostrarum evectiojum jam notabiliter advertere. — Celeriter interruptum omne cum Hispania, Portugallia, Svecia, & boreali Germania Commercium in magnis Manufacturis nostris observaretur; non datur ullus industriæ nostræ ramus, qui per id non infringeretur, præstationes publicæ (Taxæ) tantam summam non suppeditarent, Chartæ publicæ valore decrescerent, frugum pretium augetur, verbo: eo adduci possemus, ut pacem, fortassis ad arbitrium Bonapartii exactam, amplecti cogamur. Credibile est, eum non cunctaturum id genus rationes inire, quod tam ei pax utilis, quam pernicioza Angliæ futura. Verum adhuc præsto nobis sunt ruinæ nostræ declinandæ remedia; leata media, segnesque medicos non expetunt tempora nostra, in mora cubat periculum; prorogatio necessitati nos involvere

posset, legi ambitiosi hostis nostri collum patienter subdendi.

Sola Continens Americæ adversus gigan-
team Bonapartinam potentiam nos tuendo est.
Eo merces nostræ ubertim devehî possunt; ibi
lucrosam refectionem sperare, perfectam com-
pensationem jacturæ, quam Bonapartina po-
litica accersere posset, nancisceremur: Nundinæ
Americanae in præsentibus adjunctis non mo-
do utilitati esse possent, verum earum gravi-
tas in immensum plane crescere deberet, per
destructionem tyrannici monopolii regiminis,
quod opprimit, & ex tribus sæculis interci-
pit progressum populationis, florisque regio-
nis hujus.

Ita sonat excerptum ex Anglicis Ephem-
eridibus, Statista nuncupatis, in Gallicis pa-
ginis, hæc ergo opiata Ministrorum Angli-
canorum, hæc consolationis, salutisque ratio-
nes — at Americani non egent Colonialibus
mercibus, ab iis emendis, utpote, quas ipsi
domi producunt! de Manufacturis argumen-
tatio adhuc posset locum habere. Interim
Colonistæ Hispani non feruntur ea in Anglos
propensione amicabili, quæ passim sperari
posset, Agentes Juntae hispanicæ ad flumen
de la Platta summæ obligationi suæ ducunt,
obsoletis legibus vetantibus auctoritatem con-
ciliare, Anglicanasque naves, eum omni ri-
gore, & intolerantia, qua vetus regimen ute-
batur, ex portu suo relegare, expedireque
cum maximo Commercii Anglicani detrimento.

Præterea Angli in America cum Hispanis subjugatoribus Creolorum communem causam fecerunt, hos, amicos olim suos, adversus se exasperaverunt, adegeruntque ad Causam cum indigenis faciendam. Excitarunt ibidem binas factiones, quarum neutra eos amat. Hispani, qui emancipationem suorum mancipiorum metuunt, cui tamen favore ratio status Anglicani svadet, non possunt propensi esse Anglis, eumque Creolis, a quibus despiciuntur, conjungere se nequeant, hinc fit: ut præsidium cujuscunque amplecti debeant, qui summa rerum in Hispaniis potitur; hoc est: ut intra paucos menses fieri possit, ut Josephi Bonapartii plurimum obsequiosi servi evadant. Altera ex parte, quoniam Creoli, qui Anglos defensores suarum fortunarum considerare debebant, eosque parti oppressorum suorum adhærentes conspiciunt, se propensos exhibebunt, aures præbendo Galliarum amicis, tanto a fortiori: quod Imperator Gallorum, & ejus frater Josephus, unici sint, a quibus pollicitationes, nullas vero læsiones pertulere, — hoc ipsæ supra memoratæ fatentur paginæ.

Cetera politica nova ad hyberna se recepisse videntur, jejuna tempora diariis illuxere. Interim borealis Ephemera (Miscellanea) hæc obtutui proponit.

Pacatiore, quod mense hoc ingrediebatur, tempore, oculi nostri rursus convertuntur in creationis ferax centrale Europæ punctum Gallicani Imperii metropolim, viden-

tur ibi, prout ex congressibus multarum excelsarum personarum, aliisque colligere licet adjunctis, memorabiles politicæ conversiones infolari, præparari, ad effectum deduci. Barbarorum, culturæ expertium, solum mos erat; occupatas a se, aut dominatui suo obnoxias sectas ditienes missas facere; locustarum instar per regiones vagati, desolationes reliquere; ex ævo, victores culti persuasos se probarunt: ense crudam solummodo materiam lucrefactam esse, quam alior Themis in formam redigere, eamque ea ratione constituendam habet, ut veræ salutis cedat illi Statui, ex quo occupationes illæ promanavere. Ergo non in bello, sed eo jam terminato inchoat magni herois proprium opus, quo victoria dignum se probat; **Articulus temporis illucet: quo Germaniæ Status essentia, utpote relatio Capitis ad foedus & foederatos Status, definite orbi illucescere deberet. Eadem ratione ecclesiasticis negotiis terminus imponetur. Imperator suo ad Deputatos urbis Romæ voluntatis declarationem responsio dedit: Episcopum Romanum porro principem Christianitatis, non vero sæcularem principem esse debere. Jam elucescet: an Pius VII. huic muneri acquiesciturus, an alius Episcopus Romæ eligendus, an verba Napoleonis: Ecclesiæ Imperator, quibus Napoleo hac responsi occasione usus, mera theoretica expressio, aut ad essentiam Imperii Capitis pertinere debeant.**

Omnes relationes in eo consentiunt : permutationes gravis argumenti pro nonnullis Germaniæ Statibus agitari, at eæ nequaquam, ut principio putabatur, impensa certi cujusdam Status locum habebunt.

In colloquio Napoleonem inter & D. a Krusemark Cæsarea Maj. indignationem in argumento certorum eventuum in Cursu novissimorum temporum puissetuisse, una admodum amicabilem sensum in personam Regiæ Majestatis declarasse perhibetur; — quibus ad aulam Regiomonti cognitis, discessus regiæ familiæ, ad quem secundum novissimos nuncios, jam omnes adparatus facti, cum certitudine definiendus dicitur.

Declaratio Imperatoris Russiæ publicis hoc mense paginis occasione pacis cum Svecia vulgata, qua inter cætera dicitur : acquisitionem Finniæ tuendis solum immanis sui Imperii finibus factam esse, luculentum pacificorum ejus consillorum argumentum produunt, id solum contrariæ positioni servire posset, si alibi existentes Russiæ limites expendantur, qui nihil minus quam naturales sunt.

Generatim hio Status quoque anno statistice memorabilior redditur, ejusque interna, & extrinseca essentia, qua potentiæ in statistico conceptu, cujus orientalis character adhucdum dignoscitur, sane admodum seriam meretur apud animum expansionem.

In argumento Politicorum adjunctorum fœderatorum borealis Americæ Statuum cum Anglia, præsens usque nihil innotuit, id unum:

Anglicanum legatum adpulisse, & ab regimine receptum esse, sola plebs in eum invehebatur. — Navigatio, commerciumque Americæ rursus fervescit; Status boreales cum voluptate eo utuntur, quo fit: ut provisoriis, prout dici solet, status rerum locum habeat, plus simplici ex ratione unicus & rarus. Russicus legatus Vashingtoniam destinatus, de præsentis Parisiis moratur, ut proin probabile sit: eum e portu Gallicano iter prosecuturum.

Nihil tam naturale est, quam ut restituta in Continente tranquillitate opinio oratur Galliam inter & Angliam Tractationes inchoaturas. Parisiis ultra aliquanto proceditur, præstendendo: primos ad eas passus jam factos esse. Primam spei occasionem præbuit adventus aliquot Parliamentariorum ad Gallicanos portus, qui communi desiderio miscetur; id præterea fertur: Principem Secreti hodie in Anglia conclavis D. Perceval non adeo ab ineunda cum Gallia pace alienum esse. Remotione D. Canning a publica administratione excelssæ uni persensæ haud ingrata fuisse dicitur: —

Videtur confectum: ne expeditio hispanica ante principium futuri anni serio resumatur, aliquamdiu spes erat, grave isthoc negotium absque ulteriore profusione sanguinis terminari posse, quod principes quidam Insurrectionis proelives se, ad transactionem ineundam exhibuisse visi sint; at nunc magis adhuc, quam unquam in continuandum bellum propendere

videntur. In boreali parte denuo sub auspiciis Blakei vires collectæ; prope Taragonam principio Nov. iater partem harum copiarum, & Gallicum D. Souham agmen ad manus consequendas serio deventum; memorabile est in hoc nuncio de hoc eventu Hispanis ratione strenuitatis primum aliquam laudem tribui. Et in australi Hispania in regione Salamancie rursus hispanicum agmen sub ductu Ducis del Parque adversus exercitus, sub duce olim Ney, agmen offensiva ratione progreditur. In ea quoque plaga acie proelium locum habebat.

B I O G R A P H I A.

Joannes Carolus de But. Vice Comes, & Baro de Mounstuart &c. Nobilis hic exactis variis multa cum dexteritate Officiis A. 1763 Status Minister creatus; regnoque diuturno, ac summo, quamquam feliciter gesto bello pene exhausto, pacem confecit, tantæ pro patria utilitatis: ut nulla ante fuerit utilior. Hoc grandi opere exacto abdicavit, vitam inter musas quiete acturus. Erat magnus philosophicarum disciplinarum patronus. Ejus cognitiones amplae, mores inculpati erant, doctrinaque litteraeque prout earum professores, in eo promotorem repererunt. Inter complura amoris ejus in artes bonas exempla, suis sumtibus opus Botanicum solas in Anglia reperibiles plantas complectens 9 Tomis quartalis formae excudi curavit, cujus 12 solum exemplaria edita, & sumtus editionis 1000 libras exaequabant. E his reginae, defunctae Duci Porthlandiae, Clarissimo Comiti a Buffon, Nobili virgini Susannae Makenstu, & Bauks, Lordio Montstuart obtigerunt, residua legatis faciendis reservata, & laminae destructae. Obiit 16. Martii 1792.